

neglectum (ut fit) cultus. S. Basilius *Constit. monast.* cap. III : « Convenit, ait, corpus in actione aliqua occupatum tenere, illudque providere, ne ipsum dum gravius quam par est premit, opprimat. » Gilbertus Abbas, qui supplevit sermones S. Bernardi in *Cant.*, serm. 1, explicans illud, *Quæsi in lectulo quem diligit anima mea* : « In lectulo, ait, id est, in quiete; quia cura implicat, quies explicat. »

Quocirca hæc sententia tropologice ad multa aptari potest, ut ad litteras, studia et scientias, *q. d.* Ne studeas simul multis scientiis, sed unum duntaxat: ita in iis dives et doctus evades. Sic fecit noster Franciscus Suarez, idemque aliis consumit, æque ac P. Jacobus Laynes, qui S. Ignatio in generalatu Societatis Jesu successit, qui proinde non nisi unum librum in cubiculo habebat; et lectilabat a capite ad calcem, eoque absoluto, alium pari modo accipiebat. Quin et S. Thomas Aquinas rogatus qua ratione quis doctus evaderet? respondit: « Unum tantum lectitandum librum. » Rursum aptari potest virtutibus et vitiis, *q. d.* Si vis vitia extirpare, unum duntaxat radicibus, e quo cætera oriuntur, totis viribus extirpandum capesse; eo enim extirpato, cætera sponte sua corruunt, sicut extirpata radice corruunt rami. Si vis virtutes consequi, omnibus quidem, sed uni præcipue tibi maxime utili, vel necessariae, intende; ea enim habita in heroico gradu, cæteræ velut filia matrem, aut quasi sorores sororem sequuntur: ita docent Cassianus, et alii virtutum magistri: « Pluribus enim intentus minor est ad singula sensus; » et: « Qui duos insectatur lepores, neutrum capit. » Simili modo aliis rebus aptari potest; unde Rabanus et ex eo Glossa, aptant compositioni librorum, *q. d.* Ne scribas multos libros, quibus non est finis, *Eccle. xii, 12.* Omnes autem libri divine Scripturæ unus liber sunt, juxta illud *Psalm. xxxix*: « In capite libri scriptum est de me, » quia unum Deum, ejusque unam legem spectant omnes.

Symbolice, si vis esse perfectus, relinque multa, quæta creaturas omnes; hæ enim mentem inquinant, juxta illud S. Leonis: « Necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere. » Quare uni Creatori adhæreto, et cum Psalte dicito: « Mihi autem adhære Deo bonum est. » Quocirca S. Egidius socius S. Francisci rogatus, quænam esset ad sanctitatem via? respondit: « Una ad unum, una ad unum, » *q. d.* Una anima uni Deo detur, tota et in solidum. Unde huc respiciens Christus, et sortem Magdalene præferens Martiæ, hæc est, vitam contemplativam activæ: « Martha, Martha, inquit, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » *Luce x, 42.* Ne ergo satagas multa agere, sed multum, multum agit, qui unum quid perfecte et eximie agit; multum agit, qui multa charitate et virtute cuncta peragit. Hoc age quod agis.

His tamen non obstat, quod viri magnanimi, zelosi et Apostolici multis se occupent, catechizando, docendo, prædicando, confessiones audiendo. Hæc enim eis multa non sunt, tum quia ad unum scopum, scilicet Dei gloriam et salutem animarum, tendunt, et sibi invicem subordinantur; tum quia viribus eorum sunt commensurata; tum quia unius et ejusdem charitatis sunt actus. Excederent tamen, si multa inchoarent, nihil perficerent; si multa imperfecte, vel perperam facerent, nihil bene et plene; si plura facerent quam vires corporis et animæ ferant; si alienis occupati, seipsos negligerent, et spiritum orationis perderent, tumque dicerentur in multis esse actus eorum. Alioqui in multis fuerit actus S. Petri, S. Pauli, ut patet II *Corinth.*, omniumque Apostolorum, qui multas gentes et totum pene mundum ad Christum converterunt; S. Francisci Xaverii, qui toto Oriente prædicavit; S. Ignatii fundatoris Societatis Jesu, qui in ea multa litterarum et pietatis officia instituit, Sociosque per totum orbem propagavit: quia hæc omnia unum sunt, unumque conflant munus, et quasi corpus Apostolicum, atque unam Societatem, quæ multa per multos agit, operas per varios dispertiendo.

Secundo, pressius hæc sententia spectat ad divitias, vetatque cupiditatem et studium multiplicandi eas, *q. d.* In multis, scilicet lucris et opibus coacervandis, non sint actus tui; ne agas et satagas multa congregare, multitudinem, id est, copiam rerum parare, ut in rerum affluentia sis multus, id est, copiosus et dives. Hunc sensum poscit nostra versio, quæ τὸ πλεθύνω, id est multiplicatus fueris, vertit, dives fueris; multus enim sæpe idem est quod abundans, affluens et dives. Forte enim pro πλεθύνω Noster legit πλουτέω, id est dives fias. Rursum eundem poseunt sequentia, quæ ad studium divitiarum pertinent; et Syrus qui vertit, *fili mi, ne augeas domum tuam; et qui festinat ad incrementum ejus, non justificatus est*; ac Tigurina, *fili, ne labores multa colligere: si enim abundaris, non eris innocens.*

Ubi nota τὸ et, cum dicitur: « Et si dives fueris, » more Hebræo esse causale, significans nam, enim, ut vertit Syrus, *q. d.* Ne appetas multa congregare et ditari, quia si diteris, non eris immunis a delicto. Ipsa enim nimia cupiditas opum, ac cura et sollicitudo eas augendi et conservandi, est peccatum, saltem veniale, et non raro mortale, quando scilicet id fit per usuram, illicitos contractus, fraudes, etc. Unde *Proverb. xxviii, 22*, dicitur: « Vir, qui festinat ditari, et aliis invidet, ignorat quod egestas superveniet ei. » Ita Rabanus. Quocirca sapienter S. Bernardus: « Noli, ait, concupiscere quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Diserte vero S. Paulus: « Qui, inquit, volunt divites fieri, incursant in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem, » I *Timoth. cap. vi, 9.*

Denique S. Hieronymus: « Dives, inquit, aut injustus, aut injusti heres. »

Est hæc sexta species modestiæ et humilitatis, quæ suade: ne quis nimis multa negotia, quibus opes et luera captet, ambiat.

SI ENIM SECUTUS FUERIS, NON APPREHENDES: ET NON EFFUGIES, SI PRÆCUCURRERIS. — Complutenses, non effugies fugiens; alii, neque si aufugies, effugies; Tigurina sive Vatablus, aut si quod persecutus fueris, non assequeris; nec tamen impune abieris, scilicet immunis a peccato, puta a culpa et pœna. Syrus fere contrarie vertit, *fili mi, si non cucurveris, non apprehendes; et si non quæsieris, non invenies.* Probavit non esse studendum divitiis, eo quod dives non sit immunis a delicto: nunc id ipsum alia ratione probat, scilicet, quod si sequaris divitias, non assequeris. Sed quid sibi vult τὸ et non effugies, si præcucurreris? Jansenius sic explicat, *q. d.* Non effugies paupertatem, etiamsi eam coneris præcurrere, si Deus eam velit tibi immittere. Verum paupertatis nulla præcessit mentio; et per illam mutatur suppositum, scilicet divitiæ, cum tamen unum et idem suppositum hic exigat comparatio duorum cursorum. Hinc enim exhibentur quasi in stadio duo cursores, unus velox, alter tardus: velocem si tardus sequatur, non apprehendet; si sequatur, non effugiet quin ab eo, utpote velociore, comprehendatur. Duo hi cursores significant hominem et divitias: velox cursor sunt divitiæ, tardus est homo; qui si eas sequatur, non apprehendet; si præcurrat, non effugiet. Ita Rabanus, Lyranus, Palacius et alii. Melius ergo Tigurina et Emmanuel Sa suppositum dant delictum, quod præcessit, *q. d.* « Si præcucurreris, » id est, festinatis ad opes, non effugies delictum. Sed et hic mutatur suppositum, scilicet divitiæ in delictum.

Primo ergo Lyranus, idem retinens fere suppositum, scilicet divitias, sic explicat: Si, inquit, secutus fueris divitias, immoderate quærendo, non apprehendes, id est, non assequeris intentum, scilicet, habere sufficientiam, propter quam divitiæ quærentur; quia per eas non satiatur cupido, sed magis acquiritur indigentia. Nam earum cupidus quanto plus acquirit, tanto plus habere sitit. « Et non effugies, » scilicet indigentiam, « si præcucurreris, » accipiendo divitias a parentibus tuis. Nam si fueris cupidus, non eris contentus, sed ad habendum majora anxius; et si fueris prodigus, cito consumes, et indigens fies. Hæc Lyranus.

Secundo, Palacius sic explicat: « Divitiæ currunt et fugiunt a te. Si tu invalidus fueris, sequeris eas, sed non apprehendes. At si velut validus et potens præcucurras eas, et fugientes tenes, non effugies delictum. Est hæc prosopopeia. Divitiæ fugiunt sequentem; at si contingat ut sequens eas præcurrat, et illas teneat, tenent illæ eum, captivant, et iniquitatis servum efficiunt. Est enim dictum Pauli: Qui volunt divites fieri,

incidunt in laqueum diaboli, etc. Ergo si cum bona conscientia eas sequaris, non apprehendes; si per malam eas præcucurras, non effugies quin te illæ mergant in interitum et perditionem. » Hucusque Palacius.

Tertio et genuine, *q. d.* Noli studere multis opibus coacervandis, quia si eas sequaris, putans te tuis laboribus illas tibi paraturum, non apprehendes illas: sin vero eas non cures, negligas, spernas, imo fugias et præcucurras, illæ te ambient, sequuntur et assequuntur, si Deus eas tibi destinavit. Sicut enim honor sequitur fugientem, fugit sequentem, sic et opes. Hoc sæpe verum est in hac vita, semper in futura, de qua exponit Rabanus, sed anagogicæ: « Si, inquit, secutus fueris, non apprehendes; et non effugies, si præcucurreris: quia non est in potestate accipientis, sed dantis. Nam si per æstum avaritiæ incitatus exardescit divitias aggregare, veras divitias non appetit; et si fidei devotione præcurrat virtutum opera exercere, prosequuntur eum in futura remuneratione opes supernæ. »

Vult enim docere Siracides divitias non tam parari nimis curis et laboribus, quam esse donum Dei, et a Deo dari, cui ipsi liberit, ac proinde eum sæpe dare eas parum laborantibus, negare vero eas multum laborantibus. Id enim significat comparatio festinantis ditari, sed frustra; ac marceidi, quem quasi otiosum ditat Deus: quam subnectit et expandit per tres versus proxime sequentes. Deus ergo, ut doceat homines non sibi, nec suis laboribus opes arrogare, sed eas exspectare et poscere a Deo, quæ sæpe eas parum sollicitis, sed in se sperantibus; negat vero valde sollicitis, quia suis laboribus præfident, et Deo diffidunt.

Alludit ad *Proverb. xxiii, 4*: « Noli laborare ut diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere: quia facient tibi pennas quasi aquilæ, et volabunt in cælum. »

Qua de re illustria exempla exstant in Vita Sanctorum. Illustre est quod legimus in Vita S. Isidori agricolæ Hispani, a Gregorio XV inter Sanctos relati, qui mane Sacris audiendis vacans, seriusque ad arationem veniens, tantum tamen et amplius agri per diem aratro subigebat, quantum cæteri qui neglecto Sacro a summo mane in vesperum aratrum duxerant; imo eo in templis orante, angeli visi sunt ejus loco terram aratro sulcare.

Rursum hujus sententiæ veritas maxime liquet in Religiosis novi Testamenti paupertatem voventibus, quibus a Christo promissum et datum est centuplum in hac vita, ac post eam vita æterna, *Matth. xix, 29.* Qui proinde dicunt cum S. Paulo: « Sicut egentes, multos autem locupietantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes, » II *Corinth. vi, 10.* Ita Rabanus, cujus præclara verba mox recitabo.

SECUNDA PARS CAPITIS.

IN QUA DUO MEDIA AD HUMILITATEM SUGGERIT, SCILICET PRIMUM, COGITARE QUOD DEUS OPES ET SORTEM CUIQUE SUAM DESTINET, ET DONET PRO SUO BENEPLACITO : SECUNDUM V. 20, MEMOREM ESSE QUOD MORS INSTET.

12. EST HOMO MARCIDUS. — Græce *μαρκιδος*, id est, languidus, torpidus. deses, ignavus, somnolentus, laborans vetero. Sic latine *marcidus* vocatur torpidus; et marcere torpore, est ignavia et inertia teneri, ait Budæus. Sic Plinius in *Panegy.* vocat « marcidum somno; » et Ovidius, lib. II *De Ponto*, elegia 9 : « Otia marcescunt per inertes somnos; » et Claudianus lib. VI, *Paneg.* 8 : « Otia marcida luxu. » Quin et Livius, lib. VIII *Belli Punic.*, ait, « equitem marcescere desidia; » et lib. III *Belli Maced.*, « marcescere otio situque civitatem. »

EGENS RECUPERATIONE (id est, reparatione seu restauratione familiæ et annonæ), PLUS DEFICIENS VIRTUTE (id est, multum deficiens, viribus et robore), ET ABUNDANS PAUPERTATE.

13. ET OCLUS DEI RESPEXIT ILLUM IN BONO (ut ei benedicat et beneficiat : unde Græce est, *ad bona*), ET EREXIT EUM AB HUMILITATE IPSIUS, ET EXALTAVIT CAPUT EJUS; ET MIRATI SUNT IN ILLO (id est illud, et illum) MULTI, ET HONORAVERT DEUM. — Probat id quod dixit, scilicet, laborantes et sollicitos subinde per omnem suum laborem non ditari, sed depauperari : ex adverso non laborantes a Deo ditari; ab exemplo, quia, inquit, sæpe homo laborat, festinat, laboribus et curis se exerceat, ut opes congerat; qui tamen non ditatur nec abundat, eo quod Deus ejus, utpote impii, labores et curas non secundet, nec prosperet; imo idem facit aliquando piis, uti S. Job, ad probandam eorum patientiam, ad purganda peccata, ad perficiendam eorum sanctitatem, ad exemplum aliorum. Ex adverso videmus sæpe quod homo marcidus, id est, languidus, tardus et torpidus, qui eget reparatione familiæ, et viribus deficit, ac abundat paupertate, ab oculo Dei benigno et benefico clementer respiciatur, erigatur, ditetur, et ad magna exaltetur; quod proinde plerique mirantur, et glorificant Deum. Unde concludit, non tam labori hominum, quam Dei munere obtingere divitias : Dei ergo gratiam cuique esse conciliandam, ab eoque sperandas et petendas esse opes, non nimias, sed commodas pro cuiusque statu, familia et gradu. Quare clarius verbat Tigurina, *est qui labore, moliat et satagat, ut opes congerat; qui tamen eget, multo magis. Est rursus qui tardus et opis indigus, viribusque destitutus, et abunde pauper, quem Dominus oculo favente respiciat, caputque ipsius conquassatum erigat, ut multis miraculo sit spectantibus qui Deum prædicent* Syrus quoque, qui concise quasi de

uno et eodem, non de duobus, sic verfit, *est qui currit et fatigatur, et deficit corpus ejus; et Dominus sublimavit illum, et admirabantur super eum multi.* Hoc est quod duo reges sapientissimi et ditissimi docuerunt. David *Psal.* cxxvi, 1 : Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. » Et Salomon orans Deum *Proverb.* xxx, 8 : « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria. » Huc facit lemma horologii cujusdam solaris : « Aspice, et aspiciar, » *q. d.* Si tu, o sol, me aspicias, aspiciar ab omnibus : sic si Deus nos aspiciat, aspiciamur ab omnibus.

Porro præclare Rabanus in hæc Siracidis verba : « Iste locus, inquit, Christiana magis exprimit tempora in quibus illi qui paupertatem voluntariam sectantur, magis abundant omnibus bonis, quam illi qui certant in acquirendis quotidianis terrenis divitiis. Quod et Psalmista in uno versiculo breviter expressit, dicens : Divites eguerunt, et esurierunt; inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono. Terrarum siquidem divites, et pauperes Christi magnifica contrarietate distinxit; ait enim : Divites eguerunt, et non esurierunt. Quando egent divites? quando fidem non habent rectam. Quando esuriunt? quando minime pastu corporis Domini satiantur. Tales ergo divites egent, et saturati ventre, spiritu semper esuriunt. Quid enim habeant qui Deum requirunt? Subsequitur : Inquirentes autem Dominum, non deficient omni bono; quia nullo bono deficient, qui spiritali perfruuntur. Nam cum diligimus Dominum, in ipso omnia reperimus. Unus est qui queritur, sed in quo omnia continentur. O lucrum mirabile! o compendium singulare! Cur nos per diversa fatigemus? ad ipsum ergo unanimiter festinemus post quem cuncta bona ultra non querimus, sed tenemus; sicut Apostolus dicit : Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. »

14. BONA ET MALA (non culpæ, sed pœnæ). Læta et tristia, dulcia et amara, prospera et adversa, puta, VITA ET MORS, PAUPERTAS ET HONESTAS (id est, opulentia, divitiæ; sic sæpe in Scriptura et apud profanos honesti vocantur divites) A DEO SUNT. — Tigurina, a Domino proficiuntur. Est hæc conclusio educta ex præcedentibus, quasi præmissis, ac velut epiphonema, quo significat

Deum cuique suam sortem, vel prosperam vel adversam, item tempus vite et mortis, denique paupertatem vel divitias pro sua sapientia et beneplacito ab æterno decrevisse et prædestinasse, atque in tempore reipsa dare et exhibere, ac proinde neminem ea posse sibi, suoque labori et industria, multo minus fortunæ, arrogare; sed Dei providentiæ ea assignare debere, ideoque humiliare se sub potenti manu Dei, ab eoque suam sortem exspectare, ac petere ut vires et gratiam det ad eam rite sustinendam, vel certe ut eam in aliam meliorem commutet. Unde Syrus verfit, *bonum et malum, vita et mors, dives et pauper, coram Deo paria sunt.* Paria, quia pariter omnia sunt in manu et voluntate Dei, ut ad libitum ea mittat, revocet et commutet. Rursum paria sunt bonitate, tum entis, quia omnia sunt entia a Deo primo ente creata, ejusque esse participantia; tum moris, quia ad virtutem acueudam tam faciunt adversa quam prospera, tam mors quam vita, tam paupertas quam opulentia, imo sæpe magis : multi enim per adversa, per pericula mortis, per paupertatem convertuntur ad Deum, qui ejus obliviscuntur in prosperis, in vita felici, in rerum abundantia.

Quocirca Deus sæpe piis adversa et pauperiem, impiis vero prospera et opes immittit : sicut ossa solent dari canibus, inquit Palacios, ut ea rodentes sanguinem e dentibus mittant, et meliore cibo fraudentur; hic enim melior cibus est virtus et gratia, quæ datur piis. Quare pii impiis hanc felicitatem invidere non debent, sed velut modicam despiciere, ac sperare longe majorem et æternam in cælis, quæ impii privabuntur; qui proinde magis compassione quam invidia sunt digni. Insuper quilibet hic tam se, quam quoslibet alios divinæ providentiæ substernat, in eamque resignet. Is enim felix, sanus, dives erit, quem Deus felicem, sanum, divitem esse voluerit; is infelix, æger et pauper erit, quem Deus talem esse ordinarit : Dei autem voluntas est rectissima, Dei judicium æquissimum, Dei ordinatio sanctissima, etiamsi hominibus subinde id non appareat.

Præclare Tertullianus, lib. II *Contra Marcion.* cap. xiv : « Ad omnia, inquit, tibi occurrit Deus, idem percutiens, sed et sanans; mortificans, sed et vivificans; humilians, sed et sublimans; condens mala, sed et pacem faciens, ut etiam et hic respondeam hereticis. Ecce enim, inquit, ipse se conditorem profitetur malorum, dicens : Ego sum qui condo mala; amplexi enim vocabuli communionem, duas malorum species in ambiguitate turbantem, quia mala dicuntur, et delicta, et supplicia; pessimæ velunt eum conditorem intelligi malorum, ut et malitiæ injuste auctor renuntietur. Nos autem adhibita distinctione utriusque formæ, separatis malis delicti et malis supplicii, malis culpæ et malis pœnæ, suum cuique parti definitum auctorem : malorum quidem peccati et culpæ,

diabolum; malorum vero supplicii et pœnæ, Deum creatorem, ut illa pars malitiæ deputetur, ista justitiæ, mala condentis judicis adversus mala delicti. »

Denique cum tam paupertas quam opulentia, tam morbi quam sanitas, tam adversa quam prospera, sint creaturæ Dei, peculiari Dei providentiæ et amore a Deo creatæ, et cuilibet justo immissæ et admensæ ad ejus profectum et salutem; sequitur, quod tam in his, quam in illis amare debeamus Deum creatorem : ille enim in omnibus creaturis amandus est, et omnes in illo; idque æqualiter, quia æqualiter omnes sunt creaturæ et dona Dei, imo adversa sæpe majora sunt dona Dei, quam prospera, quia magis salutifera, uti jam dixi. Rursum purior est Dei amor in adversis quam prosperis; purius enim amat Deus in cruce et afflictione, quam in deliciis et voluptate, quia in cruce nihil habet quod amet amor carnalis vel sensualis, uti habet in deliciis. Cum ergo amat Deus in cruce, spiritali et puro amore diligitur, quia nil in ea diligitur nisi Deus. Ex cruce vero, et puro amore Dei in cruce, discimus eundem purum Dei amorem extendere ad opes, delicias, et prospera quæque, ut in illis nihil diligamus nisi Deum. Atque in hoc perfectio amoris et sanctitatis consistit, ut scilicet in omnibus creaturis nihil amemus nisi Deum creatorem, v. g. non amemus delicias quia gustui suaves sunt, non amemus dignitates quia honorificæ sunt, non amemus opes quia divitem et splendidum faciunt, sed tantum propter Deum, nimirum quia Deus in iis latet, in iisque amandum se offert, ut per ea illi obsequi et servire valeamus.

Porro signum hujus puri et perfecti amoris Dei est, si æqualiter in omnibus Deum amemus; tam enim Deus est in cruce, quam in commoditate, perinde ac Christus æque dilexit Deum in monte Calvarie, ac in monte Thabor gloriose transfiguratus; quia in sua transfiguratione non suam gloriam et commodum, sed Dei tantum amavit; perinde ac in crucifixione non suam ignominiam, sed Dei tantum voluntatem et gloriam dilexit : tam enim Deus et Dei gloria erat in cruce Calvarie, quam in gloria Thabor. Qua de re pie et eximie tractat Franciscus de Sales, Episcopus Genevensis, lib. X *De Amore Dei*, cap. v. Hic amor Dei spoliatur amantem omni alio amore ut dicat cum sponsa : « Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia (pari amoris), donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. »

Quocirca pie S. Gregorius Nazianzenus, *epist.* 63 : « Gratias ago, ait, ut in lætis rebus, ita etiam in acerbis; quia exploratum habet .ihis rerum nostrarum apud summam rationem expers esse rationis. » Quin et Seneca, lib. *Quare bonis*, etc. cap. II : « Ego vero, ait, non miror, si quando voluptatem capiunt dii, cum spectant magnos viros luctantes cum aliqua calamitate. Non video quid habeat Jupiter in terris pulchrius, quam ut

spectet Catonem jam partibus non semel fractis, stantem inter ruinas publicas rectum. » Igitur sicut in thermis ex uno latere videmus ebullire aquam calidissimam, ex alio frigidissimam, quæ in thermis commistæ temperatum et salutare efficiunt balneum: sic in hisce mundi thermis cernimus a Deo emanare bona et mala, læta et tristitia, quasi ex duabus Dei mammis, misericordiæ et justitiæ; quibus inter se contemperatis, salutare homini fit balneum, ne in adversis desperet, nec in prosperis intumescat. Quare dicat cum Psalme *Psalm. xxxiii*: « Benedicam Dominum in omni tempore (adverso æque ac secundo): semper laus ejus in ore meo. »

Mystice, hæc sententia menti et spiritui aptari potest; ejus enim ingenium, solertia, vigor, æque ac stupiditas, tarditas et hebetudo, a Deo sunt; item « vita et mors, » qua quis moritur peccatis, acediæ et vitii, ac vivit virtutibus, fervori, perfectioni; denique « paupertas et honestas, » qua nunc abundat gratia, lætitia et consolationibus, nunc iis destituitur, plenusque est ariditate, desolatione, tristitia, tentationibus. Tunc ergo dicat anima fidelis, humilis et patiens cum S. Paulo: « Scio et abundare, et penuriam; » *Philipp. iv, 12*.

Rursum quod aliqui, v. g. S. Paulus et Apostoli, abundant sapientia, eloquentia, fortitudine spiritus, sanctis inspirationibus, omnique gratia tam gratum faciente, quam gratis data; aliis vero hæc omnia parce dentur, pendet a Deo, qui sua dona distribuit prout vult, juxta illud Apostoli *I Corinth. xii, 4*: « Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministratorum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. » Vide sequentia.

Objicies: *Sapient. i, vers. 13*, dicitur: « Deus mortem non fecit. » Ergo mors non est a Deo, Respondeo: Deus mortem primitus non creavit, quia fecit hominem immortalem; at postquam peccavit, mortem quasi justam pœnam illi infixit, *Genes. iii*: inde cuilibet tempus moriendi æque ac vivendi præfixit. Ita S. Augustinus in Sententiis collectis a S. Prospero tomo III, *Sent. 303*: « Justum, ait, Dei judicium est, ut peccato suo quisque pereat, cum Deus peccatum non faciat, sicut mortem non fecit; et tamen quem dignum morte sensit, occidit. Unde legitur: Mors et vita a Deo est. Quæ duo non esse contraria, profecto videt, quisquis ab operibus divinis judicia divina discernit; quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud, judicando plectere peccatorem. » Idem in *Quæst. veteris et novi Testamenti, Quæst. XXXIV*: « Dum, inquit, unumquemque adjudicat quid mereatur, ab ipso est sive absolutio ad vitam, sive reatus ad mortem; non ergo inventor mortis est, sed judex, quia mortis auctor peccatum est, » etc. Eadem ratione, paupertas et honestas a Deo sunt; paupertas enim

sæpe est pœna peccati, præsertim gulæ, prodigalitatis et acediæ; at non semper: nam S. Job innocenti immissa est ad probandum, ejus virtutem: de quo plura vers. 13.

15. SAPIENTIA, ET DISCIPLINA, ET SCIENTIA LEGIS APUD DEUM. DILECTIO, ET VIE BONORUM APUD IPSUM. — Dixit bona corporis esse a Deo: nunc idem dicit de bonis animæ, tam intellectus, ut sunt « sapientia, disciplina et scientia, » sive cognitio, « legis; » quam affectus et voluntatis, ut est « dilectio, et viæ honorum, » id est, exercitia et actiones honorum operum, ut habent Græca, quæ a dilectione manant. Nam, ut ait S. Dionysius *Eccles. Hierarch. cap. ii*: « Primus ad divina motus, Dei dilectio est. Porro sacræ dilectionis ad divina mandata faciendæ principalis omnino progressus est secretissima illa et ineffabilis operatio, qua divinus in nobis status efficitur. » Hæc ergo omnia sunt « apud Deum » id est, in Deo, quasi rerum omnium principio, a quo velut sole per radios in homines sparguntur. Unde græce est, *παρά Κριου*, id est, a Domino.

Porro « sapientia » est rerum sublimium et divinarum cognitio; « disciplina, » græce *ἐπιτήρησις*, id est scientia, est cognitio rerum humanarum, præsertim ad mores spectantium, qualis est lex: ita S. Augustinus lib. XII *De Trinit. cap. xiv*. Unde Syrus vertit, *sapientia et continentia et scientia legis a Deo est, charitas et viæ bonorum operum ab ipso sunt*, Tigurina, *item sapientia ac scientia, legisque peritia, tum charitas et instituta bonorum operum ad eo oriuntur*. Ubi nota vias bonorum vocari primo, proposita et instituta bonorum operum; secundo, eorumdem actionem et executionem: per hanc enim quasi per viam ad eorum consummationem tenditur; tertio, modos, rationes, occasiones et circumstantias, quæ quasi viæ ad bona opera iter aperiunt. Unde S. Paulus crebro orat viam et ostium sibi aperiiri *Corinthi, Colossis et aliis in locis ad prædicandum ibidem Evangelium, ut patet I Corinth. xvi, 9; Coloss. iv, 3; Apocal. iii, 8*.

Idem cuilibet orandum, ut scilicet quotidie Deus vias bonorum operum nobis pandat, ideoque dicendum crebro cum Psalme: « vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me, » *Psal. xxiv, 4*. Et: « Ulinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! » *Psal. cxviii, 5*. Hæc sunt viæ vitæ, quæ ducunt ad vitam gratiæ et gloriæ, de quibus *Psal. xv, vers. 11*: « Notas mihi fecisti vias vitæ. » Errat ergo Seneca, dicens: « Deorum immortalium murus est quod vivimus, philosophiæ quod bene vivimus. » Et ille loquens de Deo:

Det vitam, det opes; animum æquum mi ipse parabo.

Similia dixere alii superbi Philosophi, et inter Christianos Pelagiani. Sapientius alii sibi diffisi sunt. Unde viam ingressuri Herculi sacrificabant, ut ipse iter prosperaret, teste Festo Pompeio

lib. XIV, et Alexandro ab Alexandro lib. III, cap. xxii. Sed fidelibus nullus est Hercules nisi Deus.

16. ERROR ET TENEBRÆ PECCATORIBUS CONCREATA SUNT: QUI AUTEM EXULTANT IN MALIS, CONSENSCUNT IN MALO. — Manuscripti codices habent, *qui autem exsultant in malum, consenscunt in mala*. Hic versus et præcedens desunt in Græcis Romanis, et nonnullis Latinis, ut Rabano, Lyrano, Dionysio et aliis, quos citat hic Franciscus Lucas; habentur tamen in Græcis Complutensibus et cæteris, ubi posterior pars per elegantem paronomasiam sic habet: *τοῖς δὲ χαυριόσι ἐν κακῷ, συγγοῖ κακία*, id est, *his vero qui exsultant in malis, consenscunt malitia*; et Syrus, *error et tenebræ peccatoribus creata sunt, et cum illis qui in malitia nutriti sunt malitia consenscunt*. Dixit vers. 14, bona et mala corporis a Deo creata esse, hisce adjunxit bona animi vers. 15, nunc addit mala animi, puta errorem et tenebras. Hæc asserit non absolute esse creata a Deo (uti voluere Manichæi), sicut dixit de malis corporis vers. 14, sed esse « peccatoribus concreata, » scilicet proprie et directe ab ipso peccato et peccatore, improprie vero et indirecte a Deo. Omne enim peccatum involvit et convictum habet aliquem errorem practicum, quo peccator judicat sibi hic nunc esse peccandum; unde ait Salomon *Prov. xiv, vers. 22*: « Errant qui operantur malum. » Rursum peccatum inducit caliginem menti, quasi effectum sibi proprium. Judicium enim erroneum actuale, quo judicat sibi hic et nunc esse peccandum, inducit et relinquit post se simile judicium erroneum habituale. Rursum actus peccati producit propensionem et habitum ad iterandum peccatum, quod errorem jam dictum includit. Ita olim Gentes ex iteratione fornicationis, ebrietatis aliorumque scelerum æstimabant ea non esse, vel certe exigua esse peccata, uti docet Apostolus *Ephes. cap. ii, 3, et cap. v, 8*. Idem etiam inter Christianos suis cupidinibus addictos fieri videmus. Hi ergo errores proprie causantur a peccato. Unde idipsum innuens subdit: « Qui autem exsultant in malis, consenscunt in malo, » *g. d.* Qui persistunt in malis, in iisque se obdurant, imo exsultant, hi sua perniciæ in malitia consenscunt, quia eam mordicus retinent, nec abdicare, aut de ea pœnitere et respicere volunt. Idem tamen errores improprie et indirecte causantur a Deo, quia scilicet Deus eos permittit, et quia peccatori velut indigno et ingrato aufert lumen inspirationis et gratiæ suæ, quo ablato peccator versatur in tenebris concupiscentiæ suæ: perinde ac qui noctu aufert candelam e cubiculo, tenebras in illud inducere dicitur. Vide dicta *Fædi vii, 3*, ubi recensui modos quibus Deus excæcat et indurat peccatores. Hoc est quod S. Augustinus Deum alloquens ait: « Spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. » Denique Deus proprie creavit et præparavit peccatoribus tormenta et tenebras gehennæ, *Matth. cap. vii, 12* (quod innuit hic Syrus), quæ

damnatos inducunt in multos errores, blasphemias et desperationes.

« Error » ergo « et tenebræ peccatoribus concreata, » id est, congenita et cognata, « sunt, » quia peccator mox ut peccat, peccato suo sibi asciscit errorem et tenebras, quasi peccati cognatas. Est enim peccato sua generatio, prosapia et progenies; sicut enim virtus virtutem, sic vitium parit vitium. Sic congenita dicitur superbiæ invidia, crapulæ libido, avaritiæ fraus; quia superbiæ parit invidiam, crapulæ libidinem, avaritiæ fraudem. Rursum sicut virtus illuminat, gignit, augetque prudentiam in agendis: sic peccatum obtenebrat, gignit, augetque imprudentiam agendorum. Hinc S. Joannes *I epist.* crebro ait justos versari in luce, peccatores vero in tenebris; adeoque ipsæ virtutes quid sunt nisi lumina veritatis? et vitia quid sunt nisi tenebræ falsitatis? ait quidam Sanctorum. Hoc est quod ait Psalme *Psal. lvii, 4*: « Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero. » Petronius exemplum dat Quartillam, quam sic loquentem inducit: « Junonem meam iratam habeam, si me unquam meminerim virginem fuisse. Nam infans cum paribus inquinata sum (notent hoc parentes, ut infantibus suis caveant), et subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicavi, donec ad hanc ætatem perveni. »

Ex dictis liquet proprie hic agi de errore qui sequitur peccata actualia, non originale, licet aliqui ad illud extendant. Illud enim omnium peccatorum et errorum fuit fons et origo. Nam, ut ait S. Augustinus lib. XXII *De Civit. cap. xxii*: « Quid aliud indicat horrenda quædam profunditas ignorantia, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, timore, dolore non possit? » Idem lib., *I De Peccat. mer. xxxviii*, idem confirmat ex pullis animalium, quæ statim ut nati sunt, matrem agnoscunt, ejusque ubera sugunt: « Contra homini nato, inquit, nisi opere nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere quam sugere. »

Nota etiam *consenscunt*, id est, usque ad senium perdurant, vitam finiunt, moriuntur, judicantur damnantur. Hæc enim omnia per metalepsin significat *consenscunt*. Ex juventute ergo pendet senectus, ex senectute mors, ex morte judicium, ex judicio æternitas et gehenna. Nam, ut docet S. Augustinus, qualiter quis vivit, taliter et moritur; ac sicut vixit juvenis, sic vivit et senex. Vis ergo bonum senium? benefac, et bonis assuesce in juventute. Vis sanctam mortem? præmitte sanctam vitam. Hinc videmus juvenes addictos veneri et ventri, senes quoque libidinosos et gulosos permanere. Quocirca Venus Libitina, id est funeralis, cognominata est, quod usque ad funus et mortem perseveret, imo et sæpe homini mortem afferat. Unde et in templo Libitinae, quæ ad

sepulturam spectabant venundabantur, teste Plutarcho in *Numa*. Aegyptiis quoque Venus dicta est. Nephte, id est, finis et mors, teste eodem lib. *De Iside*. Hoc est quod ait Job cap. xx, 11: « Ossa ejus implebuntur vitis adolescentiæ ejus, et cum eo in pulvere dormient. » Quam vero hoc sit turpe et infame, declarat S. Chrysostomus homil. 1 in *epist. ad Hebr.*: « Quomodo, ait, non est absurdum, et supra veniam quod fit, ut senex in taberna sedeat, senex ad circum festinet, senex ad theatrum ascendat, veluti pueri currentes cum plebe. Vere confusio est et irrisio, ut canitie quidem ornatur extrinsecus, intrinsecus autem intellectum habeat puerilem. » Et Seneca, lib. II *Controv.* VII: « Senex, ait, amens, senex ebrius, circumdatus sertis, delibutus unguentis, et in præteritis annos retro se agens, et validus in voluptatibus quasi juvenis exsultans, nonne portentum est? Luxuriosus adolescens peccat, senex autem luxuriosus insanit. » Nimirum:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

17. DATIO, (id est, donum), DEI PERMANET JUSTIS Græce εὐσεβείῃ, id est piis, religiosis), ET PROPECTUS ILLIUS SUCCESSUS HABEBIT IN ÆTERNUM. — *Profectus* active hic sumitur, q. a. Quod Deus vult proficere et promovere, hoc successus habebit: græce enim est εὐδοκία, id est, beneplacitum Dei. Unde Palacius: *Profectus*, inquit, id est, quod a bona Dei voluntate profectum est; verum vox *profectus* hoc sensu passivo non est in usu apud Latinos, ut significet, donum profectum a Deo. Syrus, *donum Dei permanet timentibus eum, et voluntas ejus in æternum firmabitur*; Tigurina, *donum Domini apud pios permanet, et favor ipsius procedit perpetuis successibus*; alii, *largitio Domini permanet piis, et benevolentia ejus felicitat in æternum*. Mihi verisimile est nostrum Interpretem pro εὐδοκία, legisse εὐλογία, id est benedictio: hanc enim vocem Noster vers. 24 vertit, *processus*. Sed eodem res redit: εὐδοκία enim, id est, beneplacitum Dei, parit in nobis εὐλογίαν, id est benedictionem, et benedictionem omnemque felicitatem.

Dixit, omnia bona tam impiis quam piis data, esse dona Dei; nunc inter illos et illa ponit discrimen: quod scilicet dona a Deo data piis, iis permaneant et prosperentur; impiis vero data, non permaneant, nec prosperentur, uti dicit vers. sequent. quocirca illa ad modicum tempus eis a Deo data, et quasi commodata duntaxat videntur, quia sæpe in vita post brevem eorum gustum, et semper in morte, omnia eis auferuntur.

Hæc sententia locum habet in bonis temporalibus, et magis in spiritualibus. « Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur, » ut ex S. Augustino ait Concilium Tridentinum sess. VII, cap. XI; quin et Apostolus: « Sine poenitentia, » Græce ἀμεταμέλητα, id est *impenitentia*, vel, ut alii legunt, ἀμετέλητα, id est *immunitabilia*, « sunt dona et vocatio Dei, » Rom. XI, 29.

Rursum gratiam quam dedit Deus justis, solet promovere, augere, perficere, juxta illud: « Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu, » *Philip.* I, 6. Unde Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. XIII: « Deus enim, inquit, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere. » Quocirca Rabanus: « Solis ergo justis, inquit, hoc est fidelibus, et timentibus Deum, donum perpetuæ lucis servatur, ut in profectu virtutum ambulantes multiplici mercede in æternum remunerentur. » Duo hic nota, ait Palacius: « Prius est, Deum nunquam auferre dona sua, nisi ea homo sibi auferat: itaque in datione prior est Deus, in ablatione posterior. Objicies: Numquid non Deus lucem prophetiæ, revelationum et consolationum aliquando aufert a justis? Vide sponsam, cui sine culpa forte est absens sponsus, *Cantic.* V. Rursum nonne bona, et dona temporalia justis persæpe auferuntur? Certe S. Job ablata fuere. Respondeo: Hæc sententia et similes non significant quid semper, sed quid sæpe fiat. » Rursum, « licet jam dicta videantur justis quandoque auferri, manent tamen non in se, sed in re meliore: nam dat Deus patientiam, quæ melior multo est aut his aut illis bonis. Posterius est, dona Dei otiosa non esse, sed suos successus et proventus habere. » Ad hoc enim dantur a Deo, ut homo per ea proficiat et crescat in gratia et gloria, non modico tempore, sed in æternum: sicut lux auroræ crescit usque ad meridiem; et sicut arbor crescit frondibus, floribus et fructibus, juxta illud: « Ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion, » *Psal.* LXXXIII, 8. Et illud: « Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem, » *Prov.* IV, 18.

18. EST QUI LOCUPLETATUR PARCE AGENDO (Græce, ex attentione et parcimonia, vel tenacitate; Syrus, ex paupertate sua, quia scilicet attentus ad rem parce vivit), ET HÆC EST PARS MERCEDIS ILLIUS. — Tigurina, *et hunc solum consequitur fructum pro præmio suo, suæ scilicet parcimoniæ et tenacitatis*.

19. IN EO QUOD DICIT: INVENI REQUIEM MIHI, ET NUNC (Lucius Papa pro *nunc*, legit *non*, *epist.* 1) MANDUCABO DE BONIS MEIS SOLUS. — Græca pro *solus* habent ἀδικαίμωνος, id est indesinenter, assidue.

20. ET NESCIT QUOD TEMPUS (Græce τίς καιρός, id est, quod vel quantum tempus) PRÆTERIET (Complutenses addunt, *illum*), ET MORS APPROPINQUET, ET RELINQUAT OMNIA ALIIS, ET MORIETUR. — Alludit ad *Eccle.* IV, 8: « Unus est, et secundum non habet, non filium, non fratrem, et tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat dicens: Cui laboro, et fructo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, et afflictio pessima. » Simile est ibidem cap. VI, 2.

Dixit dona Dei permanere justis, ut iis ipsi diu utantur et fruantur, eaque in suum et aliorum com-

modum expendant, ideoque prosperos habeant successus; nunc per antithesin ostendit contrarium evenire impiis, puta avaris et tenacibus, qui mentem ære affixam, et cor in auro sepulchrum habent. His enim non permanent bona, triplici de causa. *Prima* est, quod eis uti non audeant, sed avaræ eas in cistis recondant: quare bona non manent ipsis, sed cistis. Unde Bion apud Laertium lib. IV, cap. VII, sordes avari taxans: « Hic, inquit, facultates suas non possidet, sed ipsum possident facultates. » *Secunda*, quod sperent se iis assidue usuros, cum sitim avaritiæ expleverint, totque nummos congererint, quot optant: hoc autem nunquam fiet, quia « crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit: » quare non ex bonis, sed ex hac inani et fallaci spe vivunt, velut chamæleontes ex aere; hæcque spes facit, ut bonis uti non audeant, sed iis uti et frui semper differant, donec suam cupiditatem expleverint: quod cum nunquam futurum sit, nunquam quoque iis usuri sunt. *Tertia*, quia nescit « quod, » id est, quantum tempus, παρελεύσεται, id est, « præteribit ipsum, » q. d. Nescit quanto tempore victurus sit, nescit quot anni vitæ ipsi supersint, ut eos in bonorum coaccervationem, et eorum usum fructumque partiri possit. Syrus, *nescit quis sit finis suus*. Unde Anacharsis apud Laertium lib. I, cap. IX, avaris maria pernavigantibus palmarem duntaxat esse vitam asserbat, ac palmo tantum distare ipsos a morte. Cum enim quæsiisset a mercatore navigante, quanta esset crassitudo navis? ac ille respondisset, quatuor digitorum, subintulit: « Tantumdem a morte absunt, qui avaritia et lucri cupiditate irritati enavigant maria. »

Apposite dicit, tempus præterire avarum: quia tempus non consistit, sed continuo fluit et præterit, hocque suo fluxu et præteritione omnia circumdat, omnia complectitur, omnia pertransit, omnia finit, occidit, sepelit, et secum præterire facit. Unde, quantum temporis vivo, tantum temporis me vitamque meam præterit et pertransit. Rursum avarus nescit nec cogitat, τίς καιρός, id est *quod*, hoc est, *quale tempus*, qualis scilicet occasio et opportunitas lucrandi opes æternas prætereant. Si enim opes expenderet in pauperes et res pias, emeret divitias maximas et æternas in cælis. At nunc hæc occasio non utitur: sequetur brevi mors, quando sero dolebit se hoc tempus amisisse et tanta lucra neglexisse, cum in morte vel invitatus suas opes relinquere debeat, sine merito et fructu. Porro, avarus si sciret sibi decem, v. g. annos vitæ tantum superesse, cogitaret: Ergo satis opum per triginta annos corradam, quod abunde sufficere ad laute vivendum per decem annos qui mihi supersunt. Quare cessabo a labore et angore congregandi, ac congregatis quiete et otio fruar et gaudebo. At hoc nescit, nec cogitat, imo ita corradit, ac si Nestoreos annos victurus esset: et interim supervenit mors, quæ il-

lum omnibus tanto sudore coaccervatis privat, eaque ad alios, sæpe externos, ingratos et inimicos transcribit, juxta parabolam Evangelicam divitis, dicentis sibi: « Anima, nabes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hæc nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt? » *Luca* XII, 20. Quæ verba urgens S. Basilius, homil. in *Divitem avarum*, exclamat: « O verba stultissima! o dementia singulari! nam si porcina habuisses animam, quid aliud ipse enuntiare potuisses? ita pecuinus es, ita bonorum animæ ignarus, eam ut illectes carnalibus epulis, et, quæ alvi secessus recipit, animæ destines? Si quidem illa virtutem habet si plena est bonis operibus, si Dei gratiam conciliavit ac familiariter ascivit, tunc sane multa bona habet, tunc lætari poterit bona lætitia. » Et Origenes, homil. 12 in *Jerem.*, Habes multa bona: « Frumentum, inquit, et terrenorum ubertatem fructuum esse arbitratus est bona, nesciens quia vera bona non nascuntur in terra maledicta, sed in cælestibus regionibus. »

Porro S. Ambrosius, lib. I *Officior.* cap. XLIX: « Sæpe, inquit, quod avarus summa congereret sollicitudine, præcipiti diffusionem dilapidat hæret luxuriosus: et diu quæsit, turpis helluo, præsentium cæcus, futuri improvidus quadam absorbet voragine. Sæpe etiam speratus successor invidiam partem acquirat hæreditatis, et celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compendia. »

Denique sapienter S. Augustinus in illud *Psal.* XXXVIII, 8, *Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? et substantia mea apud te est*: « Dominus, inquit, est expectatio mea, qui dedit omnia ista, quæ contemniam: ipse mihi dabit et se, quæ est super omnia, et per quem facta sunt omnia, et a quo factus sum inter omnia. Ipse est expectatio mea Dominus. »

Id ipsum repræsentat Græcum σφιγγία, id est tenacitas, parcimonia, constrictio, a σφίγγω, id est stringo, astringo, constringo. Unde dicta est Sphinx, quam Poetæ fingunt esse monstrum habens faciem virginis, pennas avium, pedes leonis. Sphinx enim dicta est ab effectu, quod homines suis questionibus ita stringeret, ut se expedire non possent; vel quod omnium mentes suis propositionibus ligaret. Statius in lib. I *Thebaid.* scribit sphinga monstrum fuisse, alas et unguis habens, in similitudinem Harpyiarum (unde symbolum fuit avaritiæ et rapacitatis), quod insidens scopulo viæ imminenti insolubilia ænigmata prætereuntibus proponebat; quæ cum solvere non possent, ex improvise veniens, alis et unguibus ad se in rupem trahebat. Hoc autem ænigma præcipue proponebat: Quodnam animæ est mane quadrupes, meridiæ bipes, vespere tripes? Oedipus tandem id solvit, dicens esse hominem, qui in infantia manibus et pedibus nitens, quadrupes